

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Heinrich Schuckmann Conrad Schuckmann

**Disputatio Iuridica De Transmissione,**

Rostochii: Kilius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731861256>

Druck Freier  Zugang



Transmission  
juristische Übertragung von  
testamentarisch nicht erfassten  
Dingen auf Erben (Thes. III)

H. Schackmann - C. Schackmann. /  
R. U. Jar. 1645.



DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
TRANS-  
MISSIONE. 64

*Quam*  
PER VIRTUTEM DEF  
Consensu Amplissimæ Facultatis Juridicæ  
in Academiâ Patriâ,

*sub*  
PRÆSIDIO  
*VIRI Amplissimi & Consultissimi*  
DN. HEINRICI Schuckman/ Jcti,  
Codicis Professoris, Ducalis Consistorij Ad-  
fessoris, Dn. Parentis venerandi,  
Die 12. Aprilis horis antemeridianis,  
in Auditorio majori,

Publico Examini subjicit  
CUNRADUS Schuckman/  
A. & R.

  
ROSTOCHII,  
Liberi NICOLAI KILI, Acad. Typog.  
Anno M. DC. XLV.

1645

MAGNIFICO  
DN. RECTORI,

Cæterisq; admodum Reve-  
rendis, Amplissimis, Consultissimis,  
Experientissimis, Excellentissimis, Clarissimis,  
omnium Facultatum DNN. PROFESSORIBUS,  
inlytæ Academiæ Rostochiensis  
PATRIBUS,

DNN. Praeceptoribus Patronis  
ac Promotoribus omni obser-  
vantia cultu suspiciendis

Submissâ oblatione Disputationis  
hujus Juridicæ se suaq; studia

Commendat

CUNRADUS SCHUCKINAN/  
A. & R.





## Cum SPIRITU operante omnia in omnibus.

### THESES I.

**T**RANSMISSIONIS Vocabulo (ut à termini explicatione exordiar) specialiter Jus Civile utitur, cum ostendit, quemadmodum Res, quæ defuncto vel nondum deberi cœperunt, vel ab eo dum viveret, nondum peti potuerunt, in heredem transeant. In qua significatione accipitur, in Rubr. & l. unie. C. de his qui ant. apert. tab. hered. transm. l. 2. & t. t. C. quand. dies legat. vel fid. ced. §. 4. Inst. de V. O.

### II.

Coincidit nonnunquam cum nomine hoc Vocabulum transferre; ut ita hæc voces, *Transmitti* & *transferri* seu *transire* promiscuè usurpentur, quod in primis cernere licet in t. t. f. quand. dies legat. vel fideicom. ced. Verum tunc Transferre, quod alias latissimè patet, specia-  
liter accipitur, & idem est cū Transmissione, quæ describitur hoc modo:

### III.

Transmissio est rerum à defuncto mortis celeritate præven-  
to non acquisitarum in heredem legitima translatio.

### IV.

Pro objecto habet Res, tam eas, quæ per successionem obve-  
niunt, quam eas, quæ ex contractu fluunt.

### V.

Res transmissibiles, quæ à successione dependent, sunt vel Universitatis, veluti hereditas non adita & bonorum possessio non agita, vel singulares, ut pura legatum & fideicommisum particulare; De singulis ordine differemus.

### VI.

Hereditatis non aditæ duplex occurrit transmissio: Una, quæ

A 2

con-

26

contingit per dispositionem hominis & peculiari nomine appellatus substitutio, per quam non adita hereditas ab instituto herede ad substitutum (quanquam impropriè) transmitti dicitur l. 8. §. 9. ff de Inesse. Test. l. i. C. si omis. sit caus. Test.

### VII.

Altera hereditatis transmissio, quæ propriè hoc nomine gaudet, & hujus loci est, sit per dispositionem legis, per quam non adita hereditas heredis heredi, licet non sit substitutus, acquiritur l. unic. pr. C. de hū qui ant. apert. tab. hered. transm.

### VIII.

De hac Hereditatis transmissione antiqua extat Regula nostro instituto ut videtur contraria, quæ hæc est: Hereditas non adita non transmittitur l. unic. §. in novissimo C. de Cad. toll.

### IX.

Quæ quidem Regula vel maximum vigorem eo tempore obtinuit, quo ex L. Papia propriè caduca fieri dicebantur, quæ post mortem testatoris ante apertas tabulas deficiebant, tunc temporis enī transmissioni non erat locus, sed quæ ita deficiebant, Fisco applicabantur, d. l. unic. §. Et cum 2. C. de Cad. toll.

### X.

Quin nec hodiè cessat dicta Regula, quanquam variis modis temperata; multas enim ex novissimo jure patitur restrictiones tam quoad extraneos heredes, quam in primis quoad descendentes liberos d. l. unic. §. in novissimo C. de cad. toll. d. l. unic. C. de hū qui ant. apert.

### XI.

Extraneis heredibus non indistinctè concedimus, quod non aditam hereditatem transmittere queant, sed tantum ex duabus causis: quarum alteram præstat Jus deliberandi, alteram Justum impedimentum aditionem hereditatis suspendens.

### XII.

Jus deliberandi, obsoletâ Crationum solennitate l. 17. C. de Jur. del. hodierno jure ad anni spacium se exporrigit, proindeq; heres si intra annum decedit, residuum deliberandi tempus in heredem transmittit d. l. unic. §. in novissimo verb. bis nihilominus C. de Cad. toll. l. cum in antiquioribus 19. C. de Jur. delib.

### XIII.

### XIII.

Ut autem ex hac causa non adita hereditas transmitti possit, requisita nonnulla attendenda sunt. Primo enim necesse est, ut defunctus seiverit sibi esse relictam hereditatem, alioquin si ignorans in fatum concessit, non potest successionem illam ad heredes stricto Jure transmittere d. l. 19. vers. Et si quidem is, l. 7. C. de Jur. del.

### XIV

Ex æquitate tamen probabilis etiam ignorantia non obest transmissioni, sed facit, ut ex hac ipsa causa heredes adversus non aditam à defuncto hereditatem in integrum restitutionem impeirare possint l. Panioriu 86. ff de acquir. vel omitt. hered. idq; propter generalem clausulam l. 1. ff. Ex. quib. caus. major. 25. in int. rest.

### XV.

Alterum requisitum necessarium ad transmissionem Juris delib. est, ut defunctus intra annale tempus ex quo cognoverit se esse heredem vocatum, decesserit. Anno enim translatso si moriatur, nec ipse adiverit, nullus etiam heredibus ejus ad istam hereditatem datur regressus d. l. 19. vers. sin autem C. de Jur del.

### XVI.

Tertio requiritur, ne defunctus delatam hereditatem adiverit vel aliquid pro herede gesserit, quod si fecerit, heredes à delibrandiarbitrio planè excluduntur d. l. 19. vers. sed nec aliquid G.c.

### XVII.

Primam transmissionis causam, Jus delibrandi, excipit altera, iustum nempē & legale impedimentum, quod obstaculo est heredi quo minus citò hereditatem adire possit. Idq; triplici potissimum ex causa contingit, vel enim impeditur heres ob SCtum Silanianum, vel ob Carbonianum edictum, vel deniq; ob ventrem præteritum.

### XVIII.

SCta Silanianam & Claudianum de publicâ quæstione à familiâ necatorum habendâ introducta sunt l. 1. ff. de SCto Silan. Hinc Prætoris Edicto cavetur, ne quis hereditatem ejus qui occisus esse dicetur, adeat, vel bonorum possessionem petat, antequam quæstio de familiâ habita sit l. 3. S. quod ad 18. S. non tantum 29. ff. d. t.

A 3

### XIX.

## XIX.

Unde, si quis ob eam causam non adeat, quod SCtō vel Edictō deterratur, adeoq; ante aditionem decebat, subvenitur ei, ut utiles actio-nes ad heredem transmittere possit d. l. 3. §. Eleganter 30. ff. d. s.

## XX.

Pari ratione Carbonianum Edictum impedimento est aditio-ni; Cum enim ex hoc Edicto Controversia status, quæ impuberi filio movetur, ad tempus pubertatis differtur, non potest interim adiri here-ditas; quod si igitur medio tempore scriptus heres, vel etiam legitimus moriatur, ad heredes ipsorum ea hereditas finito Judicio transit l. 1. pr. l. 12. ff. de Carb. Edict.

## XXI.

Deniq; si Venter sit præteritus, adiri hereditas nequit, quamdiu incertum est, mulierem esse prægnantem l. cum quidam 30. §. 1. & 3. ff. de acquir. vel om. hered. Ideoq; si scriptus heres in dubio constitutus, an prægnans sit mulier nec ne, antequam ipse adeat, vitâ fungatur, jus suum ad heredem transmittit l. ventre præterito 84. ff. de Acq. hered. l. 4. §. fin. l. seq. s. ff. de Bon. poss. cont. tab.

## XXII.

Supra memoratis causis ob quas extranei heredes non aditam he-reditatem transmittunt, non incongruè annumeratur casus, qui conti-netur in l. 18. C. de Jur. delib. Et specialis est in infante minore 7. annis in potestate constituto, ut relictæ ipsi à quibuscumq; personis hereditas, & nec ab ipso ob etatem, nec à patre ob negligentiam adita, ad patrem nihilominus mortuo ante aditionem infante devolvatur d. l. si infanti 18. C. de Jur. del.

## XXIII.

Hactenus de extraneis heredibus: Liberos quod attinet, dubi-um non est; quin cujuscunq; sexus vel gradus sint, Ascendentium here-ditatem non aditam transmittere possint, propter expressam Imp. Theo-dosij constitutionem in l. unic. C. de his qui ant. apert. tab. hered. transm. reiteratam ab Imp. Justiniano in l. unic. §. in novissimo C. de cad. toll.

## XXIV.

Inter liberos autem & extraneos heredes (de quibus supra) quo-ad transmissionem evidens intercedit differentia; Primo enim in libe-ris

ris nulla desideratur scientia, sed & si ignoraverint se ad aliquius hereditatem vocari, nihilo secius eam non aditam transmittunt, d. l. unis. vers. sive se &c. C. de his qui ant. apert. tab.

### XXV.

Deinde neq; annalis præscriptio hic quicquam efficit, quo minus ultra annum paterna vel avita hereditas transmitti queat d. l. unic. vers. nulla Gr: quam tamen adversus transmissionem quæ sit ab extraneis hereditibus currere supra Th. 12. G. 15. demonstravimus.

### XXVI.

Liberi intelliguntur hic quocunq; modo tam ex foeminino quam masculino sexu descendentes, nec enim paterna tantum sed etiam materna & avita & proavita hereditas transmitti dicitur d. l. unic.

### XXVII.

An autem Emancipati liberorum appellatione hoc in loco continantur, dubitari posset; verius tamen esse videtur, ut & hi inter liberos hoc in casu numerentur l. 16 ff. de V. S. Cum primis quia in dictâ Const. Theodosianâ etiam nepotibus ex filiâ respectu avitæ successionis transmissio conceditur, quos tamen in avi potestate non esse constat, ex S. 3. Inst. de patr. potest.

### XXVIII.

Majorem difficultatem secum ferre videtur hæc quæstio, utrum ad quoscunq; heredes à descendantibus fiat transmissio, an ad transmittentium descendantes tantum? Nos hac in parte verbis legis inhaerendum existimamus, ideoq; in liberos tantum fieri posse transmissiōnem concludimus, adducti illâ ratione, quæ dictæ Const. annexa est, d. l. unic. vers. siquidem perindignum &c. C. de his qui ant. apert. tab.

### XXIX.

Excipimus tamen suos heredes, qui patris vel avi &c. in cuius potestate sunt, hereditatem ad quoscunq; heredes Jure suitatis transmittunt, l. apud hostes 8. C. de suis G. legit. lib.

### XXX.

Inter liberos, ad quos ascendentium hereditas transmittitur, referri potest & Monasterium, ut monachus ante aditionem decedens delatam sibi hereditatem ad Monasterium devolvat Arg. 6. in presentia 8. Extr. de probationib;

### XXXI.

### XXXI.

Quod de hereditate transmittenda dictum est, sic exaudiri debet, ut sive ex testamento sive ab intestato alicui obveniat, locum habeat transmissio l. 12. ff. de Carb. Edict. l. 19. C. de Jur. delib.

### XXXII.

Nec tantum de directa Hereditate hoc intelligendum est, sed & multò magis de fideicommissaria, ita, ut fideicommissarius heres, si ante restitutionem decebat, jus fideicommissi universalis in heredem transmittat, l. postulante 4o. pr. l. 11. §. utrum 2. ff. ad SCtum Trebell. l. 3. C. de fideicomm.

### XXXIII.

Sicut & fiduciarius seu institutus heres ante aditionem & restitutionem decadens, necessitatem adeundi & restituendi in heredes transmittit, l. eam quam 14. l. in personam 21. C. de fideicomm.

### XXXIV.

Ideò autem major ratio est in fideicommissi quam directa hereditatis transmissione, quoniam in fideicommisso nobile officium Judicis versatur, l. ille à quo 13. §. tempestivum 4. ff. Ad SCtum Trebell. Sed officium judicis in heredes transit arg. l. non solum 6. ff. de in integr. Ref.

### XXXV.

Utrum autem tota hereditas alicui deferatur an vero pars, nihil interest, nam & qualibet portio hereditatis transmitti potest l. unic. verb. portionem C. de hū qui ant. apert. tab. quod enim in universa hereditate valet, illud & in qualibet ejus parte obtinet Arg. l. 82. ff. de acq. vel om. hered.

### XXXVI.

Quinimò & illa hereditatis portio qua accrescendi jure alicui heredium competit, si is prius quam accrescat mortuus sit, hereditibus ejus acquiritur, § fin. Inst. de SCto orpbit. l. si eu pluribus 9. ff. de suis leg. hered.

### XXXVII.

Hereditatis autem transmissio ideo à ll. inventa esse intelligitur, ut præsumpta ejus de cuius successione agitur voluntas conservetur, que non tantum heredi sed & heredihheredi præspeküsse videtur Arg. l. cum apud

avm

*Anus 102. ff. de cond. & demonstr. l. 6. §. 1. C. de inst. & subſt. l. unic. C. de h̄i  
qui ant. apert. tab.*

### XXXVIII.

Præterea & hunc finem intendit transmissio, ne facile caduca fiat  
hereditas l. unic. §. hoc autem 14. C. de Cad. toll.

### XXXIX.

Cum itaq; in istis, quos haclenūs enumeravimus, casibus hereditas  
fuerit transmissa, efficitur primò, ne portio hereditatis ceu deficiens co-  
heredi accrescat l. unic. vers. sive soli sive cum extraneis C. de his qui ant.  
apert. tab. quo pacto transmissio jure accrescendi potior habetur.

### XL.

Deinde & hoc operatur transmissio, ut heredis heres transmissam  
hereditatem acquirat, eamq; tanquam debitam vindicare possit d. l. unic.  
vers. memoratu. C. de his, qui ant.

### XLI.

Ex quā causā omnia media ad acquirendam hereditatem neces-  
saria, actiones videlicet hereditatis nomine competentes simul trans-  
mittuntur l. 3. §. Eleganter 30. ff. de S. Cto Silan.

### XLII.

Quæritur hoc loco, Num querela inofficioſi nondum præpara-  
ta ad heredes transmittatur? qua in re II. distinguunt inter suos & extra-  
neos, ut illi quidem etiam non præparatam querelam transmittant, l. 7.  
f. de inoffic. Test. l. 34. C. cod. Hi vero non nisi præparatam, d. l. 7. l. 5.  
C. d. t.

### XLIII.

Cæterum veluti acquirendi, ita etiam repudiandi seu abstinendi  
facultas in heredem transmittitur, qui enim acquirere potest, is & repu-  
diare potest l. 18. ff. de acquir. vel omitt. hered.

### XLIV.

Cum autem per transmissionem ab aliquo acquisita fuerit here-  
ditas, omnia simul hereditatis jura in eum tranſeunt l. 23. ff. de Acq. vel  
am. posſ. in tantum, ut & onera hereditatis subire cogatur l. fin. §. 4. C. de  
Jur. delib. Neq; enim ferendus est, qui lucrum quidem amplectitur  
quus autem ei annexum contemnit, l. unic. §. pro secundo 4. C. de Cad. toll.

B

XLV.

## XLV.

Sin vero aliquis transmissam ad se hereditatem repudiaverit, vel ea se abstinuerit, nullum transmissio sortitur effectum l. unic. verb. si tamen non recusant C. de hū qui aut. apert. tab.

## XLVI.

Quod eo quoq; in casu obtinet, cum quis hereditatem ejus, quo mediante ad ipsum transmititur alia hereditas, repudiaverit; nam & tunc cessare transmissionem probatur, per l. quise patrū 3. C. unde liberi.

## XLVII.

Idem dicendum; Cum is per quem hereditas transmitti poterat, eam repudiaverit, l. 19. verb. non tamen successioni renunciaverit C. de Jur. delib. Ut ita semel repudiata hereditas amplius adiri nequeat l. 4. C. de repud. vel abst. hered.

## XLVIII.

Num vero beneficium revocandi abstentionem suo heredi per l. ult. C. de repud. vel abst. hered. indultum, in heredes transmitti possit? non immerito dubitatur: Nos illud privilegium ceu specialiter in persona sui heredis conclusum, non transmitti defendemus, per §. 6. Inst. de F. N. G. & C. l. i. §. fin. ff. de const. princip.

## XLIX.

Non tantum autem repudiatio heredis, sed & voluntas testatoris nonnunquam transmissioni adversatur, eamq; cessare facit: Quod eo easu accidit, ubi Testator instituto heredi aliud expressè substituit l. unic. Verb. licet non sint invicem substituti C. de hū qui aut. apert. qua ratione per provisionem hominis tollitur provisio legis arg. l. ult. C. de part. convent.

## L.

Quæ de hereditate transmittenda diximus, eadem & bonorum possessioni applicamus, statuentes, quod bonorum possessio non petita aut agnita, ex iisdem causis ex quibus hereditas, in successores recte transmittatur l. 4. C. qui admitt. ad bon. poss. possunt l. 3. §. 29. & 30. ff. de SCto Silan. l. 12. ff. de Carb. Edict. l. 4. §. fin. & l. 5. ff. de bon. poss. contr. tab. l. 1. C. de Rest. mil. quoniam bonorum possessor in omnibus loco heredis habetur l. 2. ff. de poss. hered. pet. l. 1. & 2. ff. de Bon. poss.

LI.

## LI.

Absolutâ illâ specie Transmissionis quæ circa res universales occupata est, progredimur ad alteram, quæ ad res singulares pertinet, quales sunt legata & fideicomissa particularia §. fin. Inst. per quas pers. suiq; acq.

## LII.

Quarum quidem rerum transmissio per omnia fere convenire vis- detur cum ea, quæ superius fuit exposita l. unic. vers. quod scilicet C. do- bis qui ant. apert. tab. sed tamen in aliquo est differentia:

## LIII.

Hereditas enim transmittitur, antequam ejus dies cedat, i. e. an- tequam adeatur, legata vero & fideicomissa non aliter quam cum eo- rum dies cesserit, licet nondum venerit l. s. pr. ff. quand. dies leg. vel fideicomm. ced.

## LIV.

Cedit autem hodie dies legatorum purè vel in certum diem reli- etorum statim à morte Testatoris, ut ab eo tempore mortuo legatario peritio eorum ad heredes ejus transmitti queat l. unic. §. 1. & §. in novis- simo C. de Cad. toll.

## LV.

Excipiuntur igitur hinc ista legata, quorum dies non statim à mor- te testatoris cedit, eaq; in triplici sunt differentia: Vel enim personæ legatarij cohærent, & sic plane non transmittuntur l. 8. § 3. ff. de liberat. leg. Vel ab aditione hereditatis dependent, & ita ante aditam here- ditatem non transmittuntur l. 7. §. fin. ff. quand. dies leg. vel fideic. ced. Vel deniq; sub conditione sunt relicta, & ita ejus eventus est expectan- dus. l. unic. §. fin autem 7. C. de Cad. toll.

## LVI.

Inter prioris generis legata primum locum tenet ususfructus purè relictus, qui adeò personæ est astrictus, ut sine eâ esse nequeat l. 26. ff. de stipul. serv. eaq; existentia simul extinguitur § 3. Inst. de ususfr. Ideoq; nec dies ejus à morte testatoris cedit; frustra enim cederet, cum in heredes non transferatur l. 2. & 3. ff. quand. dies leg. vel fideicomm. ced. l. unic. §. libertatibus 6. C. de Cad. toll.

B 2

LVII

## LVII.

Quod ipsum eodem modo se habet in usu & habitatione legatis, ut non transmittantur d. l. 2. ff. quand. dies leg. Siquidem & ipsa personæ cohærent l. 9 ff. d. t. l. 21. ff. de usu & habit. & iisdem modis quibus usus fructus finiuntur, in princ. Inst. de usu & habitat.

## LVIII.

Non idem tamen est, si operæ hominis sint legatæ, quo casu quia legatarius fructuarius non est, ad heredem suum operarum legatum rectè transmittit l. 2. ff. de usu & usufr. legat.

## LIX.

Alimenta vero legata quæ ipsa cum vitâ legatarij finiuntur l. 14. pr. ff. de Alim. & Cib. legi. l. 8. §. 10. ff. de Transact. in heredes non transmittuntur.

## LX.

In annuis tamen legatis discriminem observandum venit, ea enim si alimentorum nomine (de quibus in præced. Th.) sint relictæ, dies eorum in initio cuiusq; anni cedit l. 12. §. 1. ff. quand. dies leg. ced. l. 1. C. eod. quandoquidem in singulos annos relictæ, non unum sed plura sunt legata l. 10 ff. d. t. l. 11 ff. de Ann. leg.

## LXI.

Proinde sub cuius anni ingressu legatarius decedit, ejus quidem anni legatum heredi suo relinquit l. 8 ff. de annuis leg. sequentium vero annorum legata squidem conditionalia sunt, in heredem minimè transmittit l. 4. ff. d. t. l. 20 ff. quand. dies leg. vel fideicomm. ced.

## LXII.

Secus est in anno legato quod non alimentorum nomine relinquitur, sed tantum in plures pensiones à testatore dividitur, exonerandi heredis gratia; tale enim legatum quia unum est, nec morte legatarij extinguitur, etiam quoad futuros annos in heredes transmittitur d. l. 20. l. 12. §. 4. l. 26. §. fin. ff. d. t.

## LXIII.

Liberatio quoq; legata non semper in heredes transmittitur; Tale enim legatum: *Heres meus à solo Luccio Titio ne petito, ad heredem Lucij*

Lucij Titij non transit, quia personæ cohæret l. 8. §. 3. ff. de liberat. leg.  
Si vero simpliciter legata sit liberatio, omnino transit ad heredes, hoc  
enim catu neq; à legatario neq; ab ejus heredibus debitum peti potest,  
l. 15. ff. d. t.

#### LXIV.

Cæterum in istis legatis quibus aditio heredis moram facit, non  
aliter dies cedit, quam cum hereditas adita fuerit, ideoq; nec ante id  
tempus transmitti possunt. Ejus generis sunt omnia legata quæ servo  
sive legato sive in testamento manumisso relinquuntur l. 7. §. fin. ff.  
quand. dies leg. l. unic. §. libertatibus 6. C. de Cad. toll.

#### LXV.

Conditionalium vero legatorum sub quacunq; conditione vel  
casuali vel potestativa vel mixta relictorum, dies neq; à tempore mor-  
tis neq; ab adita hereditate cedit, sed tunc demum, cum conditio imple-  
ta fuerit, ideoq; ante eventum conditionis mortuo legatario, non trans-  
mittuntur d. l. unic. §. fin. autem 7. C. de Cad. toll. l. 5. §. 2. ff. quand.  
dies leg. ced.

#### LXVI.

Quo pertinent ea quoq; legata quæ in incertum diem relin-  
quuntur, quæ similiter non ante debentur, quam dies incertus extiterit  
d. l. un. §. fin. autem. Nam & incertus dies conditionem in testamento  
facit l. 7. ff. de Cond. & demonst.

#### LXVII.

Sicut & illud legatum quod purè quidem datur, sub conditione  
autem adimitur, pro conditionali habetur l. 6. pr. ff. quand. dies leg. ced.

#### LXVIII.

Speciale est in legato principi sub conditione relicto, ut illud  
etiam ante diem cedentem i. e. impletam conditionem, ad successorem  
in officio transmittatur l. 56 ff. de leg. 2. Secus est in conditionali legato  
Augustæ relicto, l. 57 ff. ced.

#### LXIX.

Quod in principe obtinet, idem & locum habet in legatis quæ  
privatis

privatis nomine dignitatis vel officij relinquntur, ut & ea ante diem cedentem, in surrogatos in officio transeat l. 20. §. 1. f. de ann. & mensfr. legat.

### LXX.

Cum igitur Legatum hoc ut diximus modo ad legatarij heredem fuerit transmissum, iisdem conditionibus heredi erit præstandum, quibus ipsi legatario si viveret præstaretur l. s. §. 6. ff. quand. dies legat. vel fid. ced.

### LXXI.

Legato respectu transmissionis non immerito comparamus mortis causa donationem, de qua dubium non est, quin & ea post mortem testatoris etiam si nondum a donatario fuerit agnita, in heredem transeat: pro ratione est, quod mortis causa donatio per omnia ferè legis connumeretur §. 1. Inst. de Donat. l. fin. C. de Don. caus. mortis.

### LXXII.

Superest; ut de obligationis transmissione non nihil addamus: Obligationem hic nontam eam intelligimus, quæ purè contracta est, Hæc enim quia in bonis est l. 49. ff. de U. S. cum ipsa defuncti hereditate in heredem citra controversiam transit l. 23. pr. ff. de Acquir. poss. l. 62. ff. de Reg. Jur.

### LXXIII.

Sed ea potius obligatio in transmissione attendenda venit, quæ per adiectam contractui conditionem differtur. cum enim ex conditionali contractu pendente conditione nihil debeatur, sed tantum spes sit debitum iri l. 54. ff. de V. S. ideo & Spes illa futuræ obligationis in heredem transmittitur §. 4. Inst. de U. O.

### LXXIV.

Ex quo manifesta apparet differentia, inter legatum sub conditione relictum, & obligationem per conditionem suspensam. In illo namq; conditionis eventus exspectandus est, nec ante eum in heredes transit; Ut supra ostensum fuit: Hæc vero etiam nondum existente conditione ad heredem devolvitur.

### LXXV.

## LXXV.

Diversitatis rationem dum inquirimus, hanc potissimum inve-  
nimus: quod in legatis personæ & ipsius meritorum respectus habeat-  
tur l. 9. ff. pro sociis qui autem contrahit, plerumq; tam heredibus, quam  
sibi ipsi prospicere videtur l. 9. ff. de probationibus. Cui accedit, quod  
in contractibus, non tam meritorum quam lucri ratio inspicitur l. 25.  
§. 1. ff. de Obl. & Att.

## LXXVI.

Ut autem clarius pateat obligationis transmissio, pro exemplo  
subjicimus stipulationem sub conditione factam, v. g. stipulatur alio-  
quis hoc modo: *Si Titius consul fuerit factus, decem aureos dare spondes?*  
moritur stipulator, antequam Titius consul fiat, post mortem autem  
existit conditio, queritur jam, num promissor stipulatoris heredi tenea-  
tur? & concludimus quod sic, quia obligationis spes in heredem est  
transmissa d. §. 4. Inst. de V. O.

## LXXVII.

Idem statuendum ex parte promissoris pendente conditione mor-  
tui, ut nihilominus ipsius heres obligatus maneat l. 57 ff. de V. O.

## LXXVIII.

Quod in stipulatione exempli gratia ostendimus, hoc ad cæteros  
bonæ fidei contractus extendi volumus, quod nimirum & in his contra-  
ctibus obligatio per conditionem suspensa transmittatur l. 54. ff. de V. S.  
l. 8. ff. de peric. & comm. rei vend.

## LXXIX.

Operatur autem transmissio hæc, ut eventus conditionis ad tem-  
pus contractus retrotrahatur, & quasi purè contracta sit obligatio, ex  
præsenti vites accipiat. l. 64. ff. de V. O. l. 26. ff. de stipular Serv.

## LXXX.

Ex qua ratione stipulator pendente conditione creditor esse dici-  
tur l. 42. ff. de O & A. Imo talis obligatio bonis stipulatoris annume-  
ratur, promissor vero bonis detrahitur l. in quantitate 73. §. magna l.  
ff. Ad L. Falcid.

## LXXXI.

Maximè autem id efficitur, ut stipulatoris heres existente condi-  
tione agere, & promissoris heres conveniri possit §. 25. Inst. de Inutile. stipul

## LXXXII

## LXXXII.

At ubi conditio defecerit, aut res in obligationem deducta pendente conditione exstincta fuerit, cessat transmissio, cum & ipsa obligatio nulla sit l. 112. § Agerius ff. de v. O. l. 8. ff. de per. & commod. rei vend.

## LXXXIII.


Materiam hanc claudat quæstio: Num Salaria eorum, qui dum munus aliquod publicum, Professoris fortè vel Advocati obeunt, in initio vel in medio anni vitâ defunguntur, quoad integrum annum inheredes transmittantur? Affirmativam ceu æquiorem, Juris auctoritate tuebimur per l. post. duos 15. § 1. C. de Advocat. divers. Judiciorum.

Eidem SPIRITUI cum quo & cœpimus &  
Cœptum perfecimus, sit HONOR  
& GLORIA.









the scale towards document

Scientia, sed & si ignoraverint se ad aliqujus here-  
seciūs eam non aditam transmittunt, d. l. unic,  
is qui ant. apert. tab.

### XXV.

nalis præscriptio hic quicquam efficit, quo minus  
vel avita hereditas transmitti queat d. l. unic vers.  
n adversus transmissionem quæ sit ab extraneis he-  
Th. 12. & 15. demonstravimus.

### XXVI.

natur hic quocunq; modo tam ex foeminino quam  
ndentes, nec enim paterna tantum sed etiam ma-  
rita hereditas transmitti dicitur d. l. unic.

### XXVII.

lancipati liberorum appellatione hoc in loco con-  
sulet; verius tamen esse videtur, ut & hi inter liberos  
natur l. 56 ff. de V-S. Cum primis quia in dictâ  
tiam nepotibus ex filiâ respectu avitæ successionis  
ar, quos tamen in avi potestate non esse constat,  
potest.

### XXVIII.

cultatem secum ferre videtur hæc quæstio, utrum  
s à descendantibus fiat transmissio, an ad trans-  
entes tantum? Nos hac in parte verbis legis in-  
clus, ideoq; in liberos tantum fieri posse transmissio-  
adducti illâ ratione, quæ dictæ Const. annexa est,  
m per indignum &c. C. de his qui ant. apert. tab.

### XXIX.

nen suos heredes, qui patris vel avi &c. in cuius po-  
tem ad quoscunq; heredes Jure suitatis transmittunt,  
uis & legit. lib.

### XXX.

d quo ascendentium hereditas transmittitur, refer-  
rium, ut monachus ante aditionem decedens dela-  
n ad Monasterium devolvat Arg. e, in presentia 8.

### XXXI.